

sed insuper eam exaltavit usque ad mensuram propriam in quantum haec exaltatio creaturam condecet. Percurrantur quae dicta sunt in paginis praecedentibus. Inter annua et antiqua festa religionis computantur merito Incarnatio Christi, ipsius Nativitas, Praesentatio in templo, Passio, Resurrectio et Ascensio. Porro nonne hodie cessante a multis seculis lege secreti, de qua actum est supra, eadem id est analogae celebrantur festa in honorem Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Compassionis, Assumptionis et Coronationis Virginis Deiparae? Nonne ad instar cursus canonici institutus est cursus Marialis, qui est quotidianus, ut alter, et eisdem constat Horis? Nonne in pluribus circumstantiis mater aliquomodo ampliori ac Filius dignata est honore? verbi gratia quando tractatum fuit de festo Nominis Mariae, et de institutione mensis Marialis. Nam festum Sanctissimi Nominis Jesu non extensum est ad universam Ecclesiam nisi in anno 1721 dum festivitas Nominis Mariae quadraginta annis antea hac extensione gaudebat. Devotio vero mensis Sacrae infantiae Jesu, et aliorum ejusmodi nata est multis annis post institutionem mensis Marialis et quasi ejus simplex fuit imitatio. Quid plura? Intuere ergo, o homo, consilium Christi Dei et hominis, agnosce consilium pietatis filialis erga Virginem matrem, quam tam mirifice exaltavit, agnosce etiam consilium sapientiae Dei erga genus humanum cui prosunt mille modis ejusdem Virginis Mariae gloria et intercessio.

Scholae Benedictinae

sive

De Scientiis opera Monachorum Ordinis S. Benedicti auctis, excultis, propagatis et conservatis Libri Quatuor

a Domino Odone Cambier Monacho Affligeniensis Monasterii
Ordinis ejusd. S. Benedicti.

(Continuatio ex fasc. III. h. ai. pg. 386—396.)

V. Caput XIX. Quae Disputationes inter Monachos agitatae. Dictum
aliquid de Latinis nominibus, quae sibi adsciverunt.

Disputatio
a Monachis
ad modum
collationis
celebrata.

Et liberali ingeniorum conflictu veritatem purius
cerni, et eruditionem facile parari, in confesso est. Nec
aliud quidquam hodie in scholis praesertim Philosophicis
et Theologicis, frequentius quam Scholasticos inter se
committere, aut aliorum contra sententiarum et dicentiarum
argumentis obiicere et exponere, quo scientiae ipsorum periculum
fiat. Verum non de iis velitationibus nunc sermo nobis erit, sed

de congressibus et colloquiis, illis litteratis, quae inter duos aut tres, ad modum collationis priscorum Patrum feruntur celebrata. Laudat huius generis concertationes, cum nimia forte publicarum depressione, Joannes Picus Mirandulanus: Prosunt, inquit, disputationes, quae placido animo ad vestigandam veritatem privatis in locis exercentur: at illae obsunt plurimum, quae in propatulo sine ordine fiunt, ad captandam populi auram, atque imperitorum applausum, vixque potest fieri, ut honoris cupidini, qua frontivagi illi disputatores exagitantur, inseparabili vinculo annexum non sit illius cum quo disputatur, desiderium infamiae confusionisque, lethale vulnus animae, venenumque caritatis mortiferum. Haec ille, severius quidem, ut ante dicebam. Si quid enim in publicis, quae hodie vigent apud Academicos, disputationibus, est vitii, quorundam gloriosulorum est, et famam doctrinae captantium, in quibus aliqui sunt adeo pervicaces, ut accepta semel qualicumque dogmata obstinate magnis clamoribus propugnent, nihil pensi habentes, an probata vel improbata in medium adferant. Causidicos mercenarios, aut forenses declamatores credas, qui neglecto iure et aequo, spem victoriae in sola pugna et contentione vocis verborumque collocant. Procul a nostrorum congressibus haec labes.

Disputationem, ceu cotem exacuendo ingenio maxime adhibebant. Moris meminit Candidus Fuldensis Coenobita in vita Aegilis Abbatis ita scribens: ¹⁾ Diligebat (Aegil) fratres suos, sicut sancta regula docet, et maxime illos, quos in Dei servitio, atque divina lectione studiosos esse cognovit. Inter quos sane me ipsum, quamvis indignum, et ultimum servorum Dei servum, tamen pio patris affectu in suam familiaritatem et gaudium introire concessit. Disputationem quoque saepius, cum Rhabano Magistro, qui erat ei speciali familiaritate connexus, excepit: et frequenter in disputando, ad hoc solummodo cum ipso in eius praesentia concitavit, ut secundum sententiam Salomonis, audiens sapiens, sapientior erit. Fallor, an non etiam de hoc disputandi ritu intelligendus Ekkehardus, ²⁾ quum de Notkero Balbulo, Ratperto, et Tutilone, S. Galli Monachis, viris doctissimis, hoc prodidit. Erat tribus illis inseparabilis consuetudo, permissio quidem Prioris, in intervallo Laudum nocturno convenire in scriptorio, Collationesque tali horae aptissimas de scripturis facere. Meminit quoque Rhabanus Maurus, colloqui cum Samuele Episcopo habiti. Ex quo, inquit, vos primum vidi, et cognovi ingenii vestri excellentiam, morumque temperantiam sensi, semper vos cordis inten-

Disputationem exacuendo ingenio adhibent.

¹⁾ Apud Brou. in sider. Germ. — ²⁾ Ekkehar. de Cas. Mon. S. Galli c. 3.

tione amare studui, et dulcissimos amicos habere elegi. Ideo aliquoties verbis, aliquoties etiam scriptis, de divinarum Scripturarum studiis, quarum lectio semper mihi dulcis erat,¹⁾ Collationem vobiscum habui. Huc etiam non invitus retulero congressum Lupi Ferrariensis cum Eginhardo Abbate, de quo in antecessum ista Lupus: Medio Maio, vita comite, hinc recedere decrevi, quo tempore, domino volente, sicut vobis, si recordamini, dixi, ad vos venturus sum, et aliquot apud vos dies factururus: ut et libros vestros vobis restituam, et quibus indigero discam, fruamque aliquandiu suavissimo alloquio, atque informes mihi gratissimo vestrae gravitatis et honestatis exemplo. Atque utinam exoneratum omni cura cum molestia vestrum reperire tunc merear animum, ut non vacet modo pro solita dignatione quaecunque amicalia videbuntur mecum conserere; verumetiam ubi vel meum vel aliorum me deficit, vestrum adsit consultum ingenium. Haec Lupus²⁾ Eginhardo. Subiicit dein catalogum dubiorum, quae eidem proponere constituerat, additque: sunt et alia complura interroganda, quae notata teneo, quaeque commodius, si Deus, vosque proni eritis, praesens disquiram. Haec Ferrariensis Lupus. Neque dubium est, quin pectus homini expleverit Eginhardus, quum et ipse discendi cupidus, non a limine, quod dicitur, bonas artes salutasset, sed in earum intima iamdudum perducto, doctissimi eius aetatis viri assurgerent, et fascis tanquam praetori submitterent.

De quibus
disseru-
erint. Quibus vero de rebus veteres Coenobitae inter se dum convenirent, potissimum disseruerint, haud facile in tanto scriptorum silentio dixerim. Verosimile putem agitatas in omni disciplinarum genere disputationes, et praefuisse quempiam eruditionis antistitem, qui, ut Sidonii verbis utar, fuerit doctus solvere vincula quaestionum, et verbi gladio secare sectas. Extant inter Alcuini opera disputationes variae de artibus liberalibus contextae, e quibus lucis aliquid huic coniecturae accedat. In Grammaticae expositione colloquuntur Discipuli et Magister. Item Saxo, Franco, Discipuli et Magister. Eodem modo in Rhetorica et Dialectica sermones conferunt Karolus rex, et Albinus Magister. Hos Dialogos excipit Disputatio regalis et nobilissimi iuvenis Peppini cum Albino Scholastico, in qua de omnibus scientiis quaestiones curiosae instituuntur, et breviter solvuntur.

¹⁾ Rhab. praefat. in Epist. Paul. — ²⁾ Lup. Ferr. ep. 5.

In aliis disputationibus discipuli Magistrum interrogant, vel quae inter se ipsi decidere nequirent, ad Magistrum referunt.

Ut ad litteratos Monachorum consessus revertar, forsitan et in iis nomina Latina quae pro Francicis et Germanicis adscivere, in deliberationem venerint. Observat sanè Browerus, dum coronam illustrium virorum, qui Fuldenses scholas illustrarunt, contextit, quod nominum ornatu peregrino delectati, vel ob insigne magisterii, vel imitationem exempli, vel aucti ex eruditionis et virtutis fama honoris, vel ob aliam non perinde compertam in praesentia causam, praeter Germanicum, Francicumque, Latinum in Fuldensi Monasterio nomen assumerint: nam ut Albinum Flaccum in Alcuino, inquit, Magnentium Maurum in Rhabano, Strabonem vel Strabum in Walafrido, quae literalium album significant, omittam; in Bonoso glorioso, Candido ac Modesto, huius loci Coenobitis exploratum habeo, eorum vernacula nomina. Hatto, Bruun et Rechio extitisse. Quare et honorarium nominis professionem tulisse Flaccum, Magnentium, Bonosum, Strabum, Probum, Lupum, abolito apud Francos, nec in sacro quidem Fonte passim recepto, Latialium nominum usu. dubitare nil attinet. Ac nescio quidem, an sanctiore tamen instituto, quemadmodum avorum memoria, renascentibus in Italia literis, eruditi quidem Romae viri, veterum ingeniorum illustria nomina sibi ipsis indiderunt, cum in coetu sodalium.¹⁾ Jovis teste, laureati Musas colerent, sic et cultioris ingenii maturitate, Coenobitas nostros, praeceptorum doctorum in suo Gymnasio censeam renovasse titulos. Gemina certe nomina ex instituto tulisse, non accepisse temere data, liquere puto. Ita Browerus. Scribit porro Rhabanus,²⁾ sibi Mauri nomen a beatae memoriae Magistro Albino fuisse inditum. Walafridus vero divitis Augiae Abbas, Gotteschalcum Monachum et Presbyterum, ob divinarum rerum scientiam, Fulgentii nomine decorandum putavit. Carmine gratulatorio ad ipsum Gotteschalcum, quo doctrinam, mores et ingenium viri longè alio quam Hincmarus Remensis colore depingit.

De latinis
nominibus
quae sibi
ad-
seiverunt.

VI. Caput XX. Quaestionum Epistolicarum usus apud eruditos Monachos.

Illud etiam morem placuisse doctis Monachis video, ut, si quando senatum cogere, et veras coram audire et reddere voces, commodum haud foret; epistolas alter ad alterum plenas humanitatis et eruditionis darent. Huc animum advertisse diceres Rhabanum Maurum, quum Freculpho Lexoniensi Episcopo, olim condiscipulo, ista scriberet: Magno-

Epistola-
rum usus

¹⁾ In elog. ad Pompon. Laet. — ²⁾ Rhab. praefat. in lib. Reg.

rum virorum conamen antiquitus fuit, ut invicem scribendo, sua provocarent studia, et exercerent ingenia.¹⁾ Hic finis et pariter fructus, Epistolicarum Quaestionum; quarum paradigmata aliquot Philologis, et bonarum artium cultoribus proponere, est hujus operis et loci.

Propositae Eruditum hunc optimorum studiorum pulverem quaestiones. attigerunt Alcuinus Abbas, Eginhardus itidem Abbas, quibus addere licet Rhabanum ipsum, nec non Paulum Diaconum Carolo Magno in deliciis et amore. Quorum quidem Epistolas omnes, et Rhabani inprimis, frustra desiderant eruditi. Sed nemo, quod sciam, Lupo Ferrariense Abbate diligentius aut luculentius, hanc sportam adornavit. Adnumerabo eius sententias, ubi Alcuino suas loquendi vices dedero. Interrogatus is a discipulo Homero, cujus generis esset rubus, quum respondisset ac multis locis probasset variare scriptores, ita demum concludit: Inter hos authores vestra videat prudentia quid sequendum sit. Possunt enim quaedam ex his exemplis vitio scriptoris esse corrupta, et u pro a, vel etiam a pro u posita. Tamen certius videtur masculinum esse, quam femininum. Ad quaestionem, utrum rectius in sacris literis dicatur dispexeris, vel despexeris, ait considerandum, quae praepositio in Graeco sit posita, et inde agnoscitur, quae in Latino scribi debeat. Ad propositas abs Fredegiso discipulo Quaestiones XXVIII. de Trinitate, accurate respondet. Pulsatum vero se et quasi fatigatum creberimis interrogationibus his verbis testatur:²⁾ Nam velut vermes fenestris involant aestivis; sic auribus meis insident Quaestiunculae. Et inter alios ipse Carolus Magnus non minus duodecim a Magistro suo tulit Epistolas, quibus ad propositas de sole, Luna, aliisque rebus quaestiones prolixè et docte respondet. Sed insignis Epistola est, qua demonstrat, quid sit inter aeternum, et sempiternum, perpetuum et immortale: et saeculum, et aevum, et tempus. Eginhardus autem a Fuldensibus, ut opinor, scire et discere aiebat quae Wssino Monacho in haec verba scribebat: Misi tibi verba et nomina obscura ex libris Vitruvii, quae ad praesens occurrere poterant, ut eorum notitiam ibidem perquirens. Et credo, quod eorum maxima pars tibi demonstrari possit in capsella, quam domus E. columnis eburneis ad instar operum antiquorum fabricavit. Et propter illud quod Vitruvius nominat scenographia, interrogat, quid sit quod Virgilius in III. Georgicorum libro scenam vocat. Dicit enim:

¹⁾ Rhab. praefat. in Genes. — ²⁾ Epist. 2.

Ad delubra iuvat, caesosque videre iuencos,
Vel scena ut versis discedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulaea Britanni.

Haec Eginhardus. Quem etiam non semel Lupus Abbas Ferrariensis per literas consuluit. Atque inter alia difficiles intellectu locos ex Boetii libris de Arithmetica sibi postulans explicari, subiicit¹⁾: In Victorii quoque Calculum, praevia Dei gratia, vestraque doctrina, ingredi cupio. Quinetiam in eiusmodi dictionibus, ut est aratrum, salubris, et similia, quae non modo positione, sed natura penultimam videntur habere productam, magna haesitatio est, etc. Erit igitur vestrae prudentiae hanc ambignitatem dirimere, et utrum eorum aliquo documento fortissimo roborare. Ita Lupus, quem voti compotem suspicari liceat de his etiam postea rescripsisse Altuino Monacho Senonensi, studiorum in Fuldensi Lyceo quondam socio. Cuius Epistolae magnam hic partem inserere visum est, ut arbitrentur quotquot hodie penitioribus literis operantur, an rudi nec perpolito Lupi saeculo doctius aliquid aut accuratius scribi potuerit.

Sic igitur habet²⁾: Regressus a Trans-Rhenanis
paribus, ubi statum loci nostri apprehendi, morem
gerere statui quibus debebam, et favente Dei clementia,
firmissima fruor quiete, otiumque mihi est per-
gratum conducibili Lectionis negotio. Vides igitur
nullos me itus moliri, ac reditus. Quocirca si tibi necessarium
ducis meum colloquium, adultam aetatem propter pabuli penuriam
praestoleris oportet, quando non impediende cura equorum facere
nobiscum dies aliquot valeas. Interim quae ex me quaesisti, ea
duntaxat quorum videor mihi attigisse notitiam, quam possum
breviter absolvo. Communem syllabam ex muta et liquida fieri
in eis solum, quae per naturam brevia sunt, nequaquam dubita-
verim. Primo, quod natura pene semper arti praeiudicat. Deinde,
quod ut sentiam huiusmodi suadent pronuntiationes: peccator
creat ex se femeninum peccatrix; amator, amatrix; venator
venatrix; multaque similia, in quibus penultima syllaba nullus
unquam dubitavit ponendum accentum. Nam si positionem seque-
remur, femeninum genus acuta antepenultima proferimus. Quod
quam sit absurdum, imo barbarum, quis non intelligat. Postremo,
quaecunque natura produxerit, nullius poetae testimonio usquam
correpta reperio, quamquam diu sit, quod id vigilanter quaesierim.
Videtur ergo mihi, et quibusdam doctis, eisdemque studiosissimis
viris, qui mecum talia pensitarunt, salubris, aratrum, et

Epistola
Lupi Ferr.
Ab.

1) Lup. Ferrar. Epist. 5. — 2) Idem Epist. 20.

similia, accentu penultimo indubitanter moderanda. Bibliothecam, quemadmodum enuntiare debeamus, Martialis versu ostenditur.

Quem mea non totum Bibliotheca capir.

In versibus moralibus, quos Aleuinus dicitur edidisse, statera sic posita est.

Non tibi sit modius duplex, nec statera duplex.

Blasphemus Graecum esse non dubitabit, nisi qui id per p. et h. scribi parum attendit. Itaque Graecus quidam Graecos Blasphemus dicere correpta penultima mihi constanter asseruit, et ipsum Einhardus noster adstruxit. Tamen Aurelius Prudentius qui apud plerosque vehementissime celebratur, id nomen sic posuit: divisor blasphemae Domini. Hinc igitur longe lateque manavit, ut blasphemus, et blasphemus, accentum in penultima syllaba sortirentur. Nundinas in Theodulphi carmine legi producta penultima. Quod utrum eius, an praeceptorum auctoritate, penes illum fides habeatur. Loquelam, et querelam per unum e, Capri, absque retractatione diceremus, nisi conjugationis similitudinem confunderet diversitas generis, et omnium pene exemplarium non contemnenda repugnaret concordia. Quamobrem in medio relinquamus, nec temere nostrum permutemus usum, quoad si non sufficiunt, quae dixi, vel a nobis, vel ab obnitentibus aliquid robustius inveniatur. Sistrum, musicum est instrumentum, quod Isis, ut scripsisti, manu gestare fingebatur, accessus et recessus Nili fluminis eo significans. Unde Cleopatram Virgilius, ut commentitiam eius potestatem sibi arrogasse solita subtilitate aperiret. — patrio, inquit, vocat agmina sistro. Fialas correpta penultima ea causa dicimus, quod fialae dicuntur quia fiunt ex vitro, quod Graeci hialim appellant. Hialim autem habes in Virgilio:

Carpebant hialim saturo fucata colore.

Item apud Martialem: Quid tibi cum fiala ligulam committere posses.

Alia ejusdem.

Hae Lupi responsa Grammatica quibus addit ad eundem Aluinum¹⁾ Epistola, docetque lucupletio penultima producta; genitivum vero in mulier correpta penultima proferendum his subiicit. Propitius per sibilum pronuntiari etiam a non parum doctis semper audivi. Et in antiquissimis exemplaribus nunquam nisi per t, scriptum inveni. Stupeo, an convertat in praeterito u, praesentis, apud Priscianum, non discernitur.

Sed prolixior sim, si omnia adscribere voluero.

Quid idem Ferrarientis de meteorologicis

Licet tamen quid in Meteorologicis senserit proponere. De Cometis, inquit,²⁾ qui visi sunt, timendum potius, quam disserendum videtur. Et quia de his nil usquam divina loquitur auctoritas, id opinari, imo metuere

¹⁾ Epist. 34. — ²⁾ Epist. 20.

possumus, quod Gentiles illis apparentibus deprehenderunt. Hi portendere Cometas pestilentiam, et famem, et bella tradiderunt. Probat ex dictis Virgilio et Josephi Judaei, pergitque deinceps: sed ut in spem aliquam adducamur clementiora experiendi, refert Pompeius Trogus, Mitridatis regis saturam excellentiam Cometa praemonstratam... Vidi ego praeterea hoc Aprili, post mediam ferme noctem stellam quandam subobscuram, quae sub Leone posita, radium ad spicam Virginis usque porrexit. Quam rem aliquot dies scrupulose observans, stellam eandem contemplatus sum. Sed radium deinceps non vidi: deinde quoque ipsa stella sublata est. Haec acerimo vir ingenio scribebat et observabat.

Neve quispiam existimet, tempus et horas in liberalibus tantum artibus ab eo collocatas, legat quae ad Godescaleum Monachum,¹⁾ a quo interrogatus fuerat, de visione beatifica ex mente D. Augustini scholastice disputat.

Legendus
idem de
Visione
beatifica.

(Continuatio in fasc. anni seq.)

Wissenschaftliche und künstlerische Strebsamkeit im St. Magnusstifte zu Füssen.

Von Dr. Dav. Leistle, Rector und ord. Professor der Theologie am k. Lyceum in Dillingen.

(Fortsetzung zu Heft III. 1897, S. 419—429.)

§ 24.

Unter Abt Aemilian und nach der Zeit der Klostersaufhebung machten sich folgende Mitglieder des St. Magnusstiftes durch ihre wissenschaftliche und schriftstellerische Thätigkeit bekannt:²⁾

a) Gregor Martin, geboren zu Aintirn am 7. März 1749, studierte im Prämonstratenserstifte Roth, zu Salzburg und Innsbruck; machte Profess am 24. November 1772 und wurde Priester im Jahre 1777. Zur Erlernung der orientalischen Sprachen wurde er von Abt Aemilian in das fürstliche Stift St. Blasien geschickt. Nach seiner Rückkehr wurde er im Kloster als Lehrer der orientalischen Sprachen verwendet, er bekleidete auch das Amt eines Subpriors, wurde zuerst Pfarrprovisor von Binswang und dann von Weissensee, wo er im Jahre 1788 in der Nacht von Christi Himmelfahrt in seinem Pfarrhause von Räubern überfallen wurde, die ihn zu ermorden drohten. Durch eine Summe Geldes beschwichtigt, zogen sie ab, ohne ihm ein Leid zuzufügen.

¹⁾ Epist. 30.

²⁾ Vgl. August Lindner a. a. O. 2. Bd. S. 62 ff. 283. Nachträge S. 49.